



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Provincialis Indiæ Ad R. P. Generalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

dam hinc submolesta. Quid de nobis Idolorum sacerdotes sentiant, equidem ignoro: nemo tamen ex ipsis nos adhuc conuenit, qui læto hilarique vultu nobiscum non egerit. Adde non defuisse quosdam, qui lustrali aqua aspergi religiosè expeterent, quam tamen, donec quid tanta in re fieri expediat studiosè excusserimus, negandam infidelibus esse duximus. Res est profectò matura de liberatione non indigna, an in vrbe tam ampla tamque celebri (præsertim cum inuitemur vltro) domicilium firmandum nobis sit, cum satis firma spe ut templum etiam sumptibus suis ciues erigendum nobis curent, an verò aliò iterum commigrandum, vnde reuertendi nobis occasio præcludatur sit metuendum. Verùm tamen quia consilii huius eventus omnis non ab humana industria, sed a diuina prorsus pendet prouidentia, feruentissimis precibus Deo commendandum censuimus, ut ipse quod factu optimum sit Spiritu sancto suggerente edoceat. R. P. Rogerius plerisque ex præcipuis vrbis proceribus hesternò die inuisit, quo etiam à Gubernatoris seu Consulis patre, qui in fidei nostræ arcanis sedulo iam instituitur, ad cœnam fuimus vocati. Ædificia tum publica tum priuata, plateæ quoque & vrbis vici, structuræ artificio multis partibus ampliores sunt & pulchriores, quam in vrbe Cantone: ciues etiam & morù grauitate, & vitæ instituto ac vestitus civilioris genere, à Xauchini Cantonisque incolis non parum differunt. Quæ in vrbe hac singularia adhuc esse cognouero, fusiùs alias perferibam: Hoc tantùm iam addam, non esse in vniuersa Lusitania, si vnicam Vlyxbonam excipias, quæ magnitudine & vastitate cum hac aliqua ex parte sit conferenda. Regni porrò huius tam ampli ad veri Dei cognitionem conuersio tanti momenti res iamdum visa est, ut vitæ planè pro ea effundere exile mihi videatur, mille effusuro si mille Dei liberalitas vitas concessisset. Deus pro infinita sua bonitate misericordiæ oculos ad cæcam hanc verèque miseram gentilitatem conuertat. Ciquione in Regno Cina, 4. Id. Feb. 1586.

PROVINCIALIS INDIAE AD R.
P. GENERALEM.

PATER Michaël Rogerius & Antonius Dalmeida, qui, ut litteris anno superiori missis docui, ad ducenta & amplius miliaria vastissimos Cina fines penetrarant, ad prouinciam quandam non procul Nauchino distantem delati, etsi certis quibusdam ac efficacibus causis impediti longiorem ibi moram non traxe-

traxerunt, grata tamen ubique locorum & accepta eorum fuit
 praesentia. At verò Xauchinum reuersi, ubi domum propriam &
 templum habebat, quadraginta nouis Christianis Ecclesia Chri-
 sti in illis partibus auctam deprehenderunt, qui numerus in illis
 fidei propaganda principiis in regno Cinae amplo ac barbaro qua-
 draginta Christianorum millibus in Iaponensium prouinciis ad-
 aequari potest. Ex eorundem litteris aliam iterum legatione pro-
 spero (vti sperabant) successu ipsos teraturos accepimus. Sed qua-
 quam nihil aliud hoc tempore quam regionem explorarent, legi-
 habitantium animis passim insinuarent, vt libere per amplissimos
 regni sinus se recipere, quando opus esset, possent: ad muneris ta-
 men suscepti euentum tanti id interesse existimo, vt verbis alle-
 qui nequeam. Manifestis namque indiciis apparet, Deum Opti-
 Max. praecipuum quendam misericordiae suae effectum Patrum
 nostrorum opera ac ministerio regni illius habitatoribus velle ost-
 tendere; cum in tanta praesertim Magistratum Cantonensium
 feueritate ac suspitione benignè ubique excipiantur. Quo circa
 nouis verbi diuini praecognitionibus per loca ea ablegandis maxima
 opus est prudentia & cautela. Neque enim frequentior Patrum
 numerus eò destinari potest, vti recenti Nudipedum Patrum ex-
 emplo fuimus edocti, qui cum incautiùs id ipsum tentassent, in
 carcerem ad vnum omnes coniecti, & tandem Interprete eorum
 crudelissimè coram ipsis caeso regno pulsi fuere, omni reditus spe
 publico edicto penitus sublata. Quorum expulsio Patrum nostrorum
 Lusitanorum in Cantonensium prouincia commorantium
 exturbationis causa pænè fuit. Atque ob id in Machonensi ciui-
 tate commorantes Lusitani litteras ad Proregem dedere, de nouo
 crudelitatis exemplo grauiter conquesti. Qui agerrimè tulisse
 fertur, quòd contra praescriptum à se agendi modum, licet bono
 fidei ampliandae zelo impulsus, tantarum turbarum optimi patres
 occasionem praebuissent. Goæ, 14 Kal. Ian. 1587.